

vent: nec alia causa est procul dubio, quod ex uno vitro difficilius quam ex alio parentur nostrae lachrymae, quam quod in uno major fit quam in altero tenacitas.

Causa 2.  
Phæn.

CONCLUSIO IV. Quod verò idem vitrum ad vermiculos gignendos aptum sit, ex quo guttae vel lachrymae citra rupturam parari nullae poterant; ejus rei ratio in eo quaerenda est procul dubio, quod, cum minor multò fit vermiculorum spissitudo, interiores partes minus longè tendantur & sic minus violentiae patiantur.

Causa 3.  
Phæn.

CONCLUSIO V. Nec obscura jam potest esse ratio ejus circumstantiae, quod in oleo, cera liquefacta &c. facilius succedat quam in aqua, & (quod *Montanarius* advertit) in aqua calida quam in frigida, lachrymarum fabrica; siquidem in his casibus tam subita non est exteriorum partium refrigeratio & induratio, neque adeò tam vehemens consequitur interiorum tensio.

CONCLUSIO VI. Quaecunque igitur sive lachrymae sive vermiculares tricae sub aquis perduraverint, earum interiora valdè tensa esse oportet instar chordarum clavicymbali, ita ut ad rupturam quamcunque & ipsa rumpi per consensum continuatumque *vi suppositi* s. impetum, & exteriores unà diffringere queant ac impetuosius discutere; id quod equidem adeò mirum haut videbitur illi, qui ruptas testudinum nabliorumve chordas non inferre dolorem tantum ictu suo musicorum vultui aut manibus, sed oculos etiam periculosè laedere animadverterit. Equidem, ne quicquam dissimulemus, notabilis illa durities exterioris crustae, quam in Phæn. XV. annotavimus & cujus causa procul dubio est ipsa illa subitanea refrigeratio, major cuiuspiam videri posset, quam quae ab illa tensarum partium internarum ruptura superari queat, cum haut leves malleorum ictus aliquoties eludat: Verum, ut silentio praetereamus rotundam & fornicatam guttarum figuram, quae mallei ictibus forinsecus advenientibus magis resistere potest (partibus quippe, ut in fornicibus

Causa 6. &  
7. Phæn.